

65

*D. D.*

# PRUDENTIA PRINCIPIS,

IN MUTANDIS LEGIBUS OECONOMICIS,

Breviter Delineata;

Atque

Conf. Ampl. SENAT. Phil. in Reg. Acad. Aboëns.

Præside

VIRO Amplissimo & Celeberrimo

# D<sub>N.</sub> PETRO ADRIANO GADD,

*Direct. Oecon. Reg. Chem. Profess. Ord. Reg. Acad.  
Scient. Holm. Membr.*

Defendenda

A

Philos. Candid.

# JOHANNE HELLENIO

Satagundensi,

In AUDITORIO MAJORI Die IV Junii


An. MDCCXLXII.

Horis ante meridiem solitis.

---

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.



### §. I.

**N**otissimum est, Leges nuncupari edicta Superioris de actionibus Subditorum. Si Superior est imperans civilis, Leges dicuntur Humanæ, atque pro diversa rerum indole diversimode dividuntur; in eo autem omnes convenire debent, quod ad finem Civitatis sint directæ. Imperanti quippe felicitatem suam & tutandam & amplificandam commendarunt subditi. Huc itaque collineent decreta, huc facta tendant. Sunt vero leges, optima illa adminicula, quibus ad metam contingendam uti potest imperans, cuius est finem, adeoque etiam adminicula velle; quam ob rem potestas legislatoria ipsi competit. Non autem qualescunque sufficient leges, sed optimæ: tales ergo imperantis est ferre; noxiæ vero mutare, quasdam abrogare. Singula autem hæc, ut debite persequatur, Prudentia semper utatur ministra: hæc enim optima quævis cernere, eligere atque perficere docet; hæc impedimenta fortiter dimovere. Nos, cum jam in eo versamur, ut *Prudentiam* Prin-

¶ ) 3 ( ¶

*Principis in mutandis legibus imprimis Oeconomicis conspicnam, paucis attingamus, Tuam, Lector Benebole, enixe compellamus benignitatem, velis ea nos complecti placideque recreare.*

### §. II.

Quæ legum sit mutatio, auditis ipsis terminis, clarius patet, quam ut multis eos opus sit explicare. Hæc duo tamen notabimus; leges vel ita exauctiorari, ut omnino abrogentur; vel ut novæ simul in locum illarum substituantur. Et quamvis singulæ leges Oeconomiam suo modo spectent; noster tamen discursus illas tantum attinget, quæ speciali ratione ad Oeconomiam tam publicam quam privatam pertinent augendam promovendamque, nec non in rationem cadunt quæstuum ampliandorum ut & sustentandorum. Excipiendæ itaque hic sunt cum plures aliae, tum imprimis leges sic dictæ fundamentales, ut & monetariae, quæ mutationem raro subeunt, rariusque patiuntur.

### §. III.

Summa atque nunquam satis decantata Prudentia regula de legibus Oeconomicis, est: crebras & subitas solerter evitandas esse mutationes. Tanta omnino vis atque efficacia hujus est Canonis, ut illum inconcussum animoque infixum semper tenere debeant Imperantes. Omni in Civitate Oeconomicâ instituta, certæ tam regionis quam populi superstruenda sunt cognitioni: firmis itaque fundamentis, firma quoque sint, necesse est, decreta ipsis innixa. Prudens Imperans, certam eligit methodum felicitatem civium promovendi, eamque firmat & ratam esse jubet; huic leges suas accommodat: quibus ruptis, rumpitur methodus constituta, periclitatur salus. Omnes vitæ rationes, omnium comoda, o-

mnesque leges, quasi firmissimos in catena connectit articulos; quorum uno quaslatō & luxato, labefactatur tota. Quamobrem non tantum ipse a mutationibus quam maxime est alienus, sed et eas molientes indignatione & odio prosequitur. Prudens Imperans optime intelligit, quantum ad dignitatem auctoritatēmque legum subvertendam faciant mutationes, quantaque incommoda secum ferant. Perviderunt hoc veteres Legislatores, *Lycurgus* aliique. Testatur idem Historia, ubique docens: melius sibi consulere civitatem, quæ Legibus, illis licet deterioribus, sed facile non mutabilibus utatur, quam melioribus & irritis. Nec aliter id quidem esse potest; quam constantes enim sunt leges, tam constans quoque est obsequium & observantia legum; tam firma etiam instituta singula, quæ Legibus innituntur. Crebra mutationes optima quævis suffocant, atque, ne maturescant, impediunt. Ab initiis æqualiter semper distat hortulanus, repetitis vicibus surculos mox defringens insitos. Et non tantum insticta quævis, sed & artes Scientiæque, legibus variantibus, mirum quantum inhibentur, ne accrescant. Lex constans & stabilis facit, ut exacte ad illam vivatur: majorum ritus labentissime observant nati, difficulter ab istis recedentes; Legem mutatam ægre ferunt, vix ad illam se componentes: quo plures mutantur leges, eo major increvit numerus actionum legibus imperfecte adtemperatarum: quæ res, quam sit periculosa, nemo non videt. Incertis legibus, vitæ genera mature eligi nequeunt, nec omne studium in uno sed pluribus addiscendis impenditur. Felicitas publica mutatur in publicam inconstantiam. Solertia Civium in communem abit pigritiam, tedium & incuriam: quisque ejam optimorum animum fere despondet. Commercia aleæ jactui fiunt simillima, fidesque, thesaurus eorum pretiosissimus, labefactatur. Rerum metallicarum Magistri a computationibus suis in multos annos extendendis deter-

deterrentur. Fabricatores & artifices statum suum variantem potius, quam fixum & constantem considerant; adeoque viatoris in diversorio, non civis in Patria more se gerunt. Agricola dejectus animo, miteram potius agit vitam, quam fluctuante sic rerum statu, terram rite colendo, vires fatigat suas. Omnes bona sua Imperanti commiserunt tutanda; qui, si quorundam civium, legum mutatione aliove modo dissipat opes, amici quoque suorum casum complorant, simulque amorem Principi debitum exuunt; quin imo hostilem quandam mentem, legum displicentia, obtrectatione, contemtu & distorsione prodere student. Immo quum leges facile mutatum iri observaverint, totis viribus in id incumbunt, ut simile quid semper accidat, ubique leges lucro eorum aut studiis impedimento sint. Legibus jam quasi crepundiis lusitare cupiunt & nituntur. Fides publica legibus innititur; hisce autem inconstantibus, fides infirmatur. Cuivis subdito jus competit leges Civitatis bonas & rectas habendi; de quo tamen jure multum cedere cogitur, crebra Legum mutatione aliud dictante. *Minos*, prudenter lege fancivit, juveniles vires in æquitate legum & bonitate dijudicanda, non esse periclitandas; crebræ autem mutationes non possunt non omnium in se convertere oculos, imprimis eorum, qui damni quid inde ceperint. Nulla Lex tam stolida esse potest, ut non saltim cujusdam salus ipsi innitatur; mutata ergo lege, labefactatur salus ei innixa; omnes etiam calculi in futurum frustrantur: unde egestas, desperatio, miseria atque perversæ vitam sustentandi rationes. Hinc est, quod omnis Legum mutatio alicui noceat. Quid? Quod mutationes etiam utilissimæ, si crebræ & subitæ fuerint, obsunt; si non aliter, certe ansam præbendo nova moliendi, quævis instituta mutandi. cet. Quare nec ullos optatos habent progressus; nam & na-

tura rapidas atque inordinatas expavescit mutationes. Aurifex non sine damno metalla refundit; multo minus leges, Rector Civitatis. Crebra itaque mutatio legum pro male se habentis vel labantis Reipublicæ signo habita semper est certissimo. Hæc aliaque plus minus occurrentia, faris superque demonstrant crebras & subitas legum mutationes quam maxime esse noxias; quare etiam prudens imperans ab istis summopere sibi cavet, potissimum curans, ut omnia firmo suo stent falo, ut constantiam ejus probent, justitiam majestatemque.

## §. IV.

Quævis autem mutationes evitari, hominesque instituta seu vitæ rationes, quas ipsi invenere, firmis & validis temperare deberent legibus; homines tamen sunt & manent, non tantum imperfecti; sed & corrupti sæpeque vitiis polluti, indeque dicta & facta eorum multis laborant nævis, multisque subjiciuntur imperfecti-  
nibus: itaque leges humanae ipsis similes sunt hominibus. Paucæ sunt, quæ scimus; pauciora, quæ præscimus; bona autem cognita, quæ sequimur, paucissima, in mala potius ruentis. Unde evenit, ut leges haud raro fiant imperfectæ, iterataque egeant refusione; quin etiam mutatis rebus, temporibus, causis casibusque; mutandæ quoque sunt leges. Quum autem felicitas civilis, communis existat mensura, cui aptentur leges; patet hinc, eas non esse mutandas, nisi huic fini repugnant, vel etiam aliæ suppetant meliores, magisque ad finem conducentes. Quo circa notandum: Leges esse abrogandas, si de rebus agant nullius momenti, seu de iis, quæ legibus nec possunt nec debent circumscribi; si legibus contradicant antea lati, at mutationem respuentibus. Et sic porro.

## §. V.

## §. V.

Legem itaque mutaturus imperans, attente ac sedulo circumspiciat; utrum caussæ santicæ adsint, an minus; utrum hæc vel illa lex sit cauſa malorum, an aliae rationes extrinsecæ; utrum mutatio totius legis, an parva sufficiat emendatio; utrum denique lex illa præmeditata sit aperte melior atque damaña ablatura, an æque incerti eventus dubiæque bonitatis: nisi enim quidquam horum adsit, mutatione haud erit opus.

## §. VI.

Necessitate jam politica legem mutandi præsente, ipsam mutationem lente festinando adgrediatur imperans; prudentia enim fraudente, rem sedulo perscrutetur; & ex omni quasi parte intueatur. Sic itaque modos detectet & arripiet, quibus instans mutatio, civibus grata & accepta sit reddenda. Quo ipso tantum særissime efficitur, ut omnes mutationem ex animo exoptent.

## §. VII.

Ante omnia autem Prudentis Imperantis est, non singula separatim tractare; sed simul, uno quasi intuitu & complexu omnia contemplari. Patet hinc, quanta, imo quam stupenda notitia, sapientia & prudentia præditum esse oporteat Principem rite imperaturum. Respiciat ad omnes res, personas & vitæ rationes, earumque perennem florem: unde multæ speciales prudentia regulæ emanant. Imitetur Imperans mercatorem providum, qui scite suo cum damno interdum multa emit & vendit, ut lucrum capiat ex reliquis. Totum Systema Oeconomicum regionis suæ introspiciet, quemque in toto effectum,

etum, membra cuiusdam pariat mutatio, scrutetur. Consideret ex. gr. annon instituto quodam Oeconomico mutato atque sublato, multa alia eidem inaedificata lucro fiora vel maxime necessaria simul labefactentur & corrulant; vel etiam, magnis jam impensis factis, ad recuperandam partem earum, opus sit persequendum. Et quamvis magni reditus summum in Oeconomia constituent articulum; non tamen eorum tantum habeat respectum, ut ad eos omnia sua instituta accommodet, incipiat & exsequatur; multo minus privatum lucrum ipsum ad leges mutandas pelliceat, vel mutationis regulas ei dictitet. Plura sunt praesenti lucro anteponenda, ut multiplicatio questuum seu modorum cives nutriendi, numeri civium incrementum, aliaque ejuscemodi, quorum simul recordetur. Necessaria prævaleant minus necessariis; haecque illis, quæ ad luxum & splendorem pertinent alendum.

### §. VIII.

Sed non tantum quæ intus in civitate, verum etiam quæ exterius sint & fiant, cognita & perspecta sibi Imperans reddat singula, etiam minima; ut mutationem tempestive prudenterque suscipere sciat. Exempla ubique sunt obvia, quæ luculentissime docent; quanti hæc regula sit aestimanda; imprimis cum de mercatura, fabricis, cet. questio instituitur. Res exterorum, & res & leges haud raro mutant nostras; quin & viliores saepe circumstantiae magni in republica sunt momenti, atque haud vulgares in civitate requirunt variationes, sive intra sive extra illam occurrant. Adiunt ex. gr. casus festivi, aliquie, quibus nimio luxu mercium plus consumeretur, quam copia earum ferret: harum usus itaque tum prohibendus, qui tamen paullo post iterum concedi possit.

§. IX.

## §. IX.

Ex his similibusque adparet, subitam & crebram paucis in casibus mutationem requiri. Et quo gravius, quoque est præsentius malum irrumpens; eo citius & promius mutatio legum aliaque adminicula sunt adhibenda. Nec imprudenter latas esse leges, earundem semper probat necessitas mutationis. Leges enim maxime ad præsentem rerum statum componuntur; rebus autem temporum progreßu mutatis, mutandæ quoque sunt leges. Ex. gr. Præmiis maſtantur, qui certas important merces, quibus tamen paulo poſt, fabricatum ope, propria abundat terra. Lex itaque de importandis mercibus in contrarium tum optime mutari potest. Jam copia mercium interdum fit tanta, ut non sine dispendio vendi possint; quare modis illicitis lucroſiorem suæ vitæ rationem reddere tentant Fabricatores; Imperans ergo fabricationem hujus generis coarctare opus habet, eoque ipso leges mutare. Temporis denique successu evenit, ut ad vitia tantum exitialia nutrienda his mercibus abutuntur cives; indeque Princeps cogitur, arctissimis terminis cultum totius circumscribere vitæ rationis. Plures in medium proferri posſunt casus, in quibus non tantum, non est imprudentia, sed & summae prudentiae mutare leges antea latas.

## §. X.

Prout varia instituta Oeconomica in ſe, & utilia & facilia eſſe, certiſſime probari potest; unus autem improviſus caſus totum convellere valet propositum; ita etiam prudens Imperans, non theoreticas ſolum, ſed & Practicas Historiæ, Senatorum virorumque in re expertiſſimorum ope detectas adhibeat rationes; quotiesque

mutationem propositam majoribus obnoxiam esse periculis viderit, toties mutationem in posterum differat.

### §. XL.

Antequam tamen mutationem persecutur imperans, diligentissime consideret, ne privilegia cuiusdam rumpantur; ne commoda eripiat, ob quæ oneribus aggravati sunt cives, aut tributa solvunt; ne salus cuiusdam, mutatione legum in discrimin vocetur aut penitus evertatur. Si autem hæc aliave mala mutationem necessariam comitentur, Prudenti Principi cordi fit, succurrere istis malis, damnum læsis resarcendo, concussam salutem reparando, novasque vias victus & honoris aperiendo.

### §. XII.

Promulgaturus legem mutatam, ansam caussasque mutationis aperte proponat atque edoceat Imperans, qui salutari vult prudens; ne occasio subministretur de prudentia ac Majestate Principis aliquid detrahendi, aut facta ejus obtrectandi; ne mala ista rempublicam invadant, quibus alias mutationes solent esse obnoxiae. Et si quando, legis antea abrogatae vim mutando Princeps restituit, distincte explicit atque declareret, rationes istius abrogationis adhuc non esse valentes; sed aut nullas, aut rescissas & dirematas.

### §. XIII.

Imperans ejus præcipue rei curanti gerat, ut Viri cordati, jurisperiti, nec non virtutis atque justitiae laude conspicui, constituantur Judices; nam mediocris bonitatis leges, si optime administrentur & exectioni dentur,

tur, voto respondent; cum optimæ a malevolis, pigris atque obtusis detorquentur fructuque casæ redduntur. Hæc ergo prudens Imperans ante omnia rite disponat; alias enim mutatio & emendatio legum non foret, nisi manca & mutila.

## §. XIV.

Leges civiles convenient legi naturæ & æquitati; si quæ autem ab ea discrepant; minori discrimine ad hanc regalam componi, eatenusque mutari possunt. Talem ergo Imperans potissimum instituat mutationem, quæ ad jus naturæ & gentium, conformat leges ab eo rece- dentes. Consultius præterea agit Imperans, si mutatio nem revocat ad similitudinem & conformitatem quan- dam cum probatis civium aut vicinarum gentium mo- ribus seu institutis.

## §. XV.

Principis est condere leges universales & paucas, omnes enim motus animi & corporis, legibus succingi nec possunt nec debent. Speciales & vanæ leges muta- tione quadam sunt in communes reducenda vel penitus exstirpanda. Hoc autem sensim sensimque fiat, ne mu- sca propulsa, totum cives occasionem arripiant excluden- di jugum.

## §. XVI.

Mentionem quoque omnimodæ abrogationis legum §. 4. injecimus, quæ in casib; fine §. cit. enumeratis, locum præcipue obtinet. Hæc tamen clarius, opinor, elucescent, simulac paucis exhibeantur casus poscentes, ut alii mox in locum abrogatarum lancingantur leges. Quando nimis insignia quæstuum genera vel earum cultores alias ad incitas redigerentur; meliorum Cives expertes fierent institutorum; sola abrogatio nutrire ex- leges,

leges, varia inferret vitia, abusus licentianique, nec non  
ancipitem excitaret curam ejus, quid in casu quovis ob-  
vio pro norma sit habendum; quando ut breviter sum-  
matimque dicam, necessitas adgit politica, prudens Im-  
perans leges tum ferre novas omniaque ad salutem pu-  
blicam dirigere novit.

## §. XVII.

Singulæ licet civitates certum sibi conveniens Syste-  
ma Oeconomicum elegerint ratumque habeant; de o-  
mnibus nihilo tamen minus valet, illa quæstuum gene-  
ra, quæ ad independentiam floremque conducunt pe-  
rennem, præ aliis esse commendandas & sublevandas,  
firmandas atque tutandas. Republica autem labante &  
extremos quasi halitus efflante, remedia quævis præsen-  
tissima adhibenda sunt atque in auxium vocanda. Prio-  
rum exempla possunt esse agriculturæ partes: posteriorum  
commercia & fabricæ. (Hæc tamen caute & de-  
bite explicata volumus.) Diversus autem hic civitatum  
status, varias in qualibet necessarias parit mutationes,  
quas omnes prudenter regnans, ad prudentiæ regulas  
revocare, nec non ad civium suorum commoda Dei-  
que gloriam optime scit dirigere. Sed  
manum de tabula.

S. D. G.

